

non per se semper & omnibus, tamen per accidens & quibusdam, quando
nunquam aliquid tam pernitosum est uni, quod alteri non sit proficuum.
Sanè Cometa Anni 336. ante nat. Chr. Alexandro M. regnum ineundi, & vi-
ctoriam contra Persas obtinenti, felix fuit: itemq; Mithridati imperium
amplissimum & viatorias reportanti Cometa Anni 119 ante nat. Chr. Justi-
nus l. 37. Et Augusto imperii Omen inde sumenti Cometa anni 44. ejusdē
Æræ: Carolo M. tunc imperatori creato An. 800. post nat. Chr &c. Sed cū
felicitas hæc Cometam insequens plerumq; paucos tantum concernat, idq;
ferè semper maximo cum aliorum damno, vel periculo, igitur non imme-
ritò à potiori denominationem desumentes Cometas omnes Signa irati
Numinis, & mali propterea vel intentati, vel, si non placet Numen, cer-
tò futuri pronunciamus. Cæterùm ut apud omnes in confessio est, mala
multa si non omnibus, tamen plerisq; mortalibus portendere Cometas; ita
temerarium videtur asserere, quæ vel quibus illa portendantur. Univetsale
phænomenon est Cometa, motu suo plerumq; totam mundi sphæram cir-
cum circa perlustrans. Aut igitur toti mundo infestus omnibus bellum, pe-
stem, famem denunciat, quod quidem non speramus, licet fieri possit, ut ab
apparitione alicuj9 Cometæ singulis in terræ locis per annos quosdam suc-
cedentes aut bellum, aut pestis, aut fames, aut omnia simul, modò hic mo-
dò alibi grassetur, ut factum hucusq; post Cometam anni 18. legimus; aut
uni certi regioni solùm ex singulare decreto divino talia portédit. Sed quæ-
nam est illa regio? An quæ signo zodiaci subjecta quod Cometa occupavit?
nugæ. An eujus punctum verticale pertransit Cometa? forsan. Quid verò
si motu planetico incedens à meridie declinat in septent. vel contra, quem-
admodum hic noster, nonne per omnium vertices transit? Sed hic atten-
dendi forsan sunt termini ortus & evanescentiæ. Verùm hi non minùs du-
biā reddunt regionem Cometæ destinatam, quām signa zodiaci, partim
quod plerumq; nos lateant, partim quod motu primo delatus ab ortu in oc-
casum s. oriens s. evanescens Cometa uno die peripheriam describat, quæ
plures regiones amplexu suo simul comprehendit. Incertū igitur est ex his
ut ita dicam fundamentis, si toti mundo periculum non minatur Cometa,
cui nocere vel prodesse velit in specie, nisi forsan ad hujus vel illius regionis
statum, factas præsente Cometæ regiminis vel mutationes, vel instauratio-
nes &c. respiciendum, quomodo Cometa noster ad Angliam non imeritò
propter regiminis mutationes: ad Romanum Imperium, propter comitia
eodem tempore instituta, quo Cometa primùm apparuit, & ad alias regio-
nes propter similem causam præ aliis applicari posset, tanquam futuri suc-
cessus hic felicis illici adversi præco.

Cate-